

Joseph Resch

# **Pastor bonus**

(1748)

Text mit Übersetzung und Anmerkungen

von Nikolaus Hölzl

Innsbruck 2020

v. 1.1 (25.03.2020)

**Text und Satz:** Stefan Zathammer

**Übersetzung und Anmerkungen:** Nikolaus Hölzl

Erschienen im Rahmen des Projekts **Brixner Schultheater im 18. Jahrhundert: Edition und Übersetzung der neulateinischen Dramen von Joseph Resch**

**Projektleitung**

Prof. Wolfgang Kofler (Leopold-Franzens-Universität Innsbruck)



**Fördergeber**

Autonome Provinz Bozen – Südtirol



**Projektpartner**

Albrecht-Ludwigs-Universität Freiburg (Prof. Stefan Tilg)

Bibliothek des Priesterseminars Brixen

Bischöfliches Institut Vinzentinum Brixen

Ludwig-Boltzmann-Institut für Neulateinische Studien Innsbruck

Stiftsarchiv und -bibliothek Kloster Neustift (Ursula Stampfer)

**Inhalt**

**Edition**

**4**

**Übersetzung**

**33**

**Edition**

*Tragoedia II.*

PASTOR BONUS

*EX*

S. EVANGELIO

In publicam Meditationem

traductus,

*Coram Celsissimo ac Reverendissimo*

*D. D.*

LEOPOLDO EPISCOPO

Et S. R. I. Principi Brixinensi,

ab Episcopali Seminario,

1748. Mense Aprili.

[p. 64] ARGUMENTUM EX EVANGELIO

Quis ex vobis homo, qui habet centum oves, et si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto et vadit ad illam, quae perierat, donec inveniat eam? Et cum invenerit eam, imponit in humeros suos gaudens et veniens domum convocat amicos et vicinos dicens illis: „Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quae perierat.“ (*Lucae c. 15, a v. 4*)

Scaena figitur in eremo circa urbem Ierusalem. Actio durat ab hora sexta vespertina feriae V ad vesperam feriae VI.

*Actus I*

(I)<sup>a</sup> Daphnis inter oves suas laetabundus scrutatur gregem vespere a pabulo revertentem. (II) Cum Tityro et Melibaeo de eo sollicite custodiendo nihil non agit. (III) Cumque de suis ovibus optima quaeque disponeret, (IV) a Leachim et Azaria terretur malo omine.

[p. 65] *Actus II*

(I) Natas in exitium ovicularum (II) cum suo Tragonomo et Aegocero coniurat.

*Chorus musicus I*

Daphnis divinus pastor perditam oviculam in horto olivarum inter sexcentas calamitates quaerit.

*Actus III*

(I) Daphnis ovi centesimae, quam perditam luget, metuit. (II) Ad eam quaerendam se comitem Daphnidi adiungit Natas, (III) qui denuo detecta larva (IV) se cum suis in Daphnin et Daphnidis oviculum obarmat.

*Actus IV*

(I) Daphnis in extremos luctus conversus, (II) necquicquam a Tityro ad solatium, (III) sed a perpetuis curis in amoris extasim perductus, (IV) a Leachim et Azaria, laboris sui comitibus, in spem erigitur, (V) qui pariter de perdita ovicula solliciti, (VI) pastoribus mercenariis negligentiam exprobrant, (VII) [p. 66] uti et Daphnis, (VIII) qui ab Echo intelligit ovem ab angue deceptam de fructu venenatae arboris gustavisse.

---

<sup>a</sup> Das im Druck stets vorangestellte *Scaena* hier und im Folgenden weggelassen.

*Pastor bonus – Argumentum ex evangelio*

*Actus V*

(I) Natas de capta praeda, (II) cum suis triumphat, (III) sed ante victoriam. (IV) Leachim et Azarias pastores torpentes animant. (V) Daphnis invenit ovem perditam, sed veneno tumidam. (VI) Quare venenum exsugit et sua morte vitam reddit oviculae perditae et inventae.

*Chorus Musicus II*

Daphnis oviculam, seu Christus animam hominis, in monte Calvariae quaerit et invenit.

PERSONAE AC PERSONARUM CLAVICULA

DAPHNIS: <i>id est Pastor bonus</i>	DAPH.
TITYRUS et MELIBAEUS: <i>pastores mercenarii</i>	TIT. et MEL.
NATAS: <i>Satan, Pastoris boni antagonista</i>	NAT.
TRAGONOMUS et AEGOCERUS: <i>Satanae ministri</i>	TRA. et AEG.
LEACHIM: <i>Archangelus Michael</i>	LEA.
AZARIAS: <i>Angelus custos</i>	AZA.
CHRISTUS et ANIMA HOMINIS in musica	CHR. et ANI.

[p. 67] ACTUS I

Scaena I

*Daphnis pastor bonus.*

Ego sum pastor bonus, cognosco oves meas et cognoscunt me meae. Ego sum pastor bonus, bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Mercenarius autem, qui non est pastor, cuius non sunt oves propriae, videt lupum venientem, dimittit oves et fugit, lupus rapit et dispergit oves. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est et non pertinet ad eum de ovibus. Ego sum ostium ovium, omnes quotquot venerunt, fures sunt et latrones et non audierunt eos oves. Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur, ingredietur et egredietur et pascua inveniet. Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, fur est et latro, qui autem intrat per ostium, pastor est ovium, huic ostiarius aperit, oves vocem eius audiunt et proprias oves vocat nominatim. Educit eas et, cum proprias oves emisit, ante eas vadit, oves illum sequuntur, quia sciunt vocem eius. alie[p. 68]num autem non sequuntur, quia non noverunt vocem alienorum (Io 10).

Scaena II

*Tityrus et Melibaeus, pastores mercenarii.*

DAPH. Venite filii, audite me (Ps 33)!

TIT. Pastores ovium sumus servi tui et nos et patres nostri (Gn 37). Faciemus, quod iubet dominus (Nm 32).

DAPH. Amen amen dico vobis: „Ego animam meam pono pro ovibus meis (Io 10). Qui non est mecum, contra me est, et qui non colligit mecum, dispergit (Lc 11).“

TIT. Sicut iussisti, domine mi, servo tuo, sic faciet servus tuus (2 Reg 2).

MEL. Vivit dominus et vivit dominus meus, quoniam in quocunque loco fueris, domine mi, sive in morte sive in vita, ibi erit servus tuus (2 Reg 15). Domine, si oportuerit me mori tecum, non te negabo (Mt 26).

TIT. Quae terra te morientem susceperit, in ea moriar. Haec mihi fa[p. 69]ciat dominus et haec addat, si non sola mors me et te sepraverit (Rt 1).

DAPH. Nunc ergo, filii, audite me (Ps 33)! Si quis furatus fuerit ovem et occiderit, quatuor oves pro una ove, ovem unam reddet in quadruplum (Ex 22). Ego pascam oves meas. Salvabo gregem meum et non erit in rapinam, iudicabo inter pecus et pecus et scient, quia ego dominus eorum sum et ipsi populus meus (Ez 34). Oves meae vocem meam audiunt et ego cognosco eas et sequuntur me. Ego vitam aeternam do eis, non peribunt in aeternum, non rapiet eas quisquam de manu mea (Io 10). Vos autem,



greges mei, greges pascuae meae (Ez 34). Ecce ego do vobis viam vitae et viam mortis: Qui sequitur me, vivet et erit anima sua quasi spoliolum (Ier 21). Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram et universa ligna, quae habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam (Gn 1). Et si parva sunt ista, adiciam multo maiora (2 Reg 12). Ego lactabo, ducam in solitudinem et loquar ad cor (Os 2). Omne, quod movetur et [p. 70] vivit, erit vobis in cibum, quasi olera virentia tradidi vobis omnia (Gn 9). Et si parva sunt ista, adiciam multo maiora (2 Reg 2).

TIT. Quam magna multitudo dulcedinis tuae, domine! (Ps 30) Aperis tu manum tuam et imples omne animal benedictione (Ps 144). Dante te illis colligent, aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate, avertente autem te faciem, turbabuntur, auferes spiritum eorum et deficient et in pulverem suum revertentur (Ps 103).

MEL. Gustate et videte, quam suavis sit dominus (Ps 33)! (*Aperitur hortus.*)

DAPH. Erit anima eorum quasi hortus irriguus et ultra non esurient (Ier 31). Inebriabo animam lassam et omnem animam esurientem saturabo (ibid.). Surge, Aquilo, veni, Auster, perfla hortum meum et fluent aromata illius (Ct 4)! Florete, flores, quasi liliolum et date odorem, frondete in gratiam et quasi rosa plantata super rivum aquarum fructificate (Ecl 39)! Veniat dilectus meus in hortum suum et comedat fructus pomorum (Ct 5).

[p. 71] TIT. Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit, ficus protulit grossos suos, vineae florentes dederunt odorem suum (Ct 2). Flores parturiunt fructus, floruerunt mala punica, mandragorae dederunt odorem. In hortis nostris omnia poma nova et vetera (Ct 7).

MEL. Nardus et crocus, fistula et cinnamomum, myrrha et aloe (Ct 4). Quasi plantatio rosae in Iericho (Ecl 24), fons hortorum, puteus aquarum virentium, quae fluunt impetu de Libano (Ct 4). Considerate lilia agri, quomodo crescunt (Mt 6).

DAPH. Ego flos campi et liliolum convallium (Ct 2); vos autem greges mei. Ecce ego iudico inter pecus et pecus, arietem et hircum. Vos greges mei estis et ego dominus vester (Ez 34). Venite in hortum meum, comedite amici et inebriamini, carissimi (Ct 5)!

TIT. Pascant in hortis et lilia colligant (Ct 6). Edent pauperes et saturabuntur (Ps 21).

DAPH. Qui operit caelum nubibus et parat terrae pluviam (Ps 146), qui producit [p. 72] in montibus faenum et herbam servituti hominum, qui dat iumentis escam ipsorum et pullis corvorum invocantibus eum (ibid.), consolabitur dominus Sion et ponet desertum delicias et solitudinem quasi hortum domini (Is 51). Fames non erit in vobis (Ier 14). Germinet terra herbam virentem et facientem semen et lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum (Gn 1). Pusillus grex, ex omni ligno comede, de ligno autem scientiae boni et mali ne comedas! In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris (Gn 2). Timeo autem, ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri et excidant a simplicitate (2 Cor 11). Propterea, pastores, audite verbum domini: „Vivo ego,“ dicit dominus ad vos, „ecce ego ipse iudico inter pecus pingue et macilentum.“ (Ez 34) Vae pastoribus, qui dispergunt et lacerant

*Pastor bonus – Actus I*

gregem pascuae meae (Ier 23). Est tempus, ut reducantur ad caulas greges (Gn 29), quoniam advesperascit (Lc 24), donec aspiret dies et inclinentur umbrae (Ct 4). Ambulate, dum lucem habetis, ne tenebrae vos comprehendant (Io 12). Custodite legitima mea (Lv 18), [p. 73] curam habete alendorum gregum (Gn 46). Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quaerens, quem devoret (1 Pt 5).

TIT. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum (Gal 6).

Scaena III

*Remanet solus Daphnis.*

DAPH. Cras primo mane oriente sole (Idc 9), ego ipse requiram oves meas et visitabo eas, sicut visitat pastor gregem suum in die, quando fuerit in medio ovium dissipatarum, sic visitabo oves meas et liberabo eas de omnibus locis. Pascam eas in montibus Israel, in rivis et in cunctis sedibus terrae, in pascuis uberrimis pascam eas. Ego pascam oves, ego accubare faciam. Quod perierat, requiram, quod abiectum, reducam, quod confractum, alligabo, quod infirmum, consolidabo, quod pingue et forte, custodiam (Ez 34).

[p. 74] Scaena IV

*Daphnis, Leachim et Azarias.*

DAPH. Obsecro, domini, declinate in domum pueri vestri et manete ibi (Gn 19), quoniam inclinata est iam dies, (Lc 24) sol egressus est super terram. Mane proficiscemini in viam vestram (Gn 19).

LEA. Minime, sed in platea manebimus (Gn 19).

DAPH. Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum (Gn 18). Ingrede, benedicte domini! Cur foris stas? Praeparavi domum et locum (Gn 24). Quaeso, domine mi, quia invenit servus tuus gratiam coram te (Gn 19). Afferam pauxillum aquae, lavate pedes vestros et requiescite. Ponam bucellam panis, confortate cor vestrum, postea transibitis; idcirco enim declinastis ad servum vestrum (Gn 18).

LEA. Fac, ut locutus es (Gn 19) (*ad Azariam*)! Mansionem apud eum faciemus (Io 13).

DAPH. Ne quaeso indigneris<sup>a</sup>, domine, [p. 75] si loquar adhuc semel (Gn 18). Quo vadere voluisti<sup>b</sup>? (Gn 32)

LEA. Ad oves, quae perierunt domus Israel (Mt 10). Nunquid scis, quare venerim ad te? Veni autem, ut docerem te, quae ventura sunt populo tuo. Vir desideriorum, intellige verba, quae ego loquor ad te, et sta in gradu tuo. Nunc enim sum missus ad te. Annuntiabo tibi, quod expressum est in scriptura veritatis (Dn 10).

DAPH. Domine mi, in visione tua dissolutae sunt compages meae, nihil in me remanist virium, sed etiam halitus meus intercluditur (ibid.).

LEA. Noli timere, vir desideriorum, pax tibi, confortare et esto robustus (ibid.)! Non sum missus nisi ad oves, quae perierunt domus Israel (Mt 15). Vidi cunctum Israel dispersum in montibus, quasi oves non habentes pastorem (3 Reg 22): Unusquisque in viam suam declinavit (Is 53).

DAPH. Mirum!

LEA. Non mirum. Ipse enim Satanus transfiguratur se in angelum lucis (2 Cor 11). Ecce Satanus expetivit vos, [p. 76] ut cribraret sicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua (Lc 22).

DAPH. Quomodo possunt haec fieri (Io 5)?

LEA. Amen amen dico tibi, quia, quod scimus, loquimur et, quod vidimus, testamur (Io 3).

DAPH. Miror, quod tam cito transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam (Gal 1), greges mei.

LEA. Non mireris, quia dixi tibi (Io 3): Et dicit dominus exercituum: „Percutiam pastores et dispergentur oves gregis (Mt 26).“

AZA. Noli turbari, ego sanum ducam et sanum tibi reducam, quem diligis (Tb 5). Benedicat tibi dominus et custodiat te et ostendat faciem suam tibi et misereatur tui, convertat dominus vultum suum ad te et det tibi pacem (Nm 6).

DAPH. Iterum pascam et custodiam pecora mea (Gn 30): Sicut vigilavi, vigilabo (Ier 31, 28<sup>c</sup>).

LEA. Nisi dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam (Ps 126, 1<sup>d</sup>).

[p. 77] AZA. Dabit dominus inimicos tuos, qui consurgunt adversum te, corruentes in conspectu tuo: Per unam viam veniet contra te et per septem fugient a facie tua (Dt 28).

LEA. Ego liberabo te de manu pessimorum et redimam te de manu fortium (Ier 15). Confortare igitur et esto robustus, noli metuere et noli timere, quoniam tecum est dominus deus tuus in omnibus, ad quaecumque perveneris (Ios 1).

---

<sup>a</sup> Die zitierte Stelle (Gen 18,32) liest *Obsecro, inquit, ne irasceris, Domine.*

<sup>b</sup> Die *Vulgata Clementina* hat an dieser Stelle (Gen 32,18) nur *Quo vadis?*

<sup>c</sup> Im Druck steht zwar an dieser Stelle der Fußnotenanker (*k*), im Apparat fehlt aber die Stellenangabe.

<sup>d</sup> Selbiges (s. vorige Fußnote) gilt für diesen Fußnotenanker (*l*).

[p. 78] ACTUS II

Scaena I

*Natas solus.*

Mala bestia, iste grex quid commeruit? (1 Par 21) Maledictus eris super terram, maledictus ingrediens et maledictus egrediens (Dt 28). Maledictus eris inter omnia animantia et bestias terrae, super pectus tuum gradieris et terram comedes cunctis diebus vitae tuae (Gn 3). Maledicta terra in opere tuo, spinas et tribulos germinabit tibi et comedes herbam terrae (ibid.). Terra proferens spinas et tribulos reproba est et maledicto proxima, cuius consummatio in combustionem (Hebr<sup>a</sup>), plena veneno mortifero (Iac 3). Fiat terra in desolationem et in sibilum sempiternum (Ier 18). Aquae desertae erunt, quia aruit herba, defecit gramen, viror omnis interiit (Is 15). Convertentur torrentes eius in picem, humus eius in sulphur et erit terra in picem ardentem. Orientur in domibus eius spinae et urticae, [p. 79] erit cubile draconum et pascua struthionum. Occurrent daemonia onocentauris, pilosus clamabit alter ad alterum. Ibi cubabit lamia et invenit sibi requiem, ibi habuit foveam ericius, illuc congregati sunt milvi (Is 34). Terribilis est locus iste (Gn 28). In sempiternum ascendet fumus eius, a generatione in generationem. Desolabitur, ibis et corbus habitabunt in eo (Is 34). Mala bestia venit tibi fames in terra tua (2 Rg 24). Parum dormies, modicum dormitabis. Pauxillum quiescas et veniet tibi quasi cursor egestas et mendicitas quasi vir armatus (Prv 24). Proiciam te in desertum super faciem terrae, cades, non colligeris neque congregaberis. Bestiis terrae et volatilibus caeli dedi te ad devorandum (Ez 29). Propter hoc ecce sepiam viam tuam spinis et sepiam eam maceria (Os 2). Non effugies de manu, sed comprehensione capieris (Ier 34). Greges ovium, debellabo vos in manu extenta, in brachio forti, in furore et in indignatione et in ira grandi (Ier 21). Ille pascitur inter lilia (Ct 6). Pro frumento oriatur mihi tribulus et pro hordeo spina (Iob 31). Ille [p. 80] panem caeli dedit eis, cibaria misit in abundantia (Ps 77). Ego cibabo eos absinthio et potabo eos felle (Ier 23), convertentur ad vesperam, famem patientur ut canes et circuibunt civitatem (Ps 28). Greges ovium, bibentes bibite et inebriamini et dormite et cadite neque surgatis a facie gladii, quem ego mittam inter vos (Ier 25).

---

<sup>a</sup> Die Kapitelnummer fehlt hier. Es handelt sich um Hebr 6,7.

Scaena II

*Natas, Tragonomus et Aegocerus.*

NAT. Adestis omnes, filii (Iud 14)! Adesse festinant tempora (Dt 32).

TRA. Adsum servus tuus (2 Reg 9).

AEG. Ecce adsum (Gn 46).

TRA. Da imperium tuum servo tuo (Ps 85)! Ad tui oris imperium cunctus populus obediet (Gn 41).

AEG. Iuxta imperium tuum in conspectu tuo adsumus (Act 10). Argue cum omni imperio (Tit 2)!

NAT. Audi, fili, verba oris mei et ea in corde tuo quasi fundamentum construe (Iob 4)! Ignis succensus est in fu[p. 81]rore meo et ardebit (Dt 32), ut eradicem, destruam et dispergam (Ier 18). In memetipso iuravi, quia in solitudinem erit domus haec (Ier 22); ficus enim non florebit et non erit germen in vineis, abscindetur de ovili pecus et non erit armentum in praesepibus (Hab 3). Ingrediatur bestia latibulum et in antro suo morabitur (Iob 37). Habitabit in siccitate, in deserto, in terra salsuginis et inhabitabili (Ier 17), in fame, in siti et nuditate (Dt 28), in fame et in gladio et in peste visitabo super gentem istam (Ier 27). Sequetur amatores suos et non apprehendet eos, quaeret et non inveniet. Exspoliabo eam nudam et statuam secundum diem nativitatis suae, ponam eam quasi solitudinem et interficiam eam siti (Os 2). Cadaver eius proicietur ad aestum per diem et ad gelu per noctem (Ier 36), bestiis tradetur ad devorandum (Ez 33). Veni nobiscum, insidiamur sanguini, deglutiamus eam sicut infernus viventem et integram (Prb 7).

TRA. Omnia, quae praecepisti mihi, faciam pater. Quomodo au[p. 82]tem hanc requiram, nescio. Illa me nescit et ego eam ignoro. Quod signum dabo ei? Sed neque viam, per quam pergatur illuc, aliquando cognovi. Nosti viam? (Tb 5)

NAT. Novi et omnia itinera frequenter ambulavi (Tb 5). Sicut ignis, qui comburit silvam et sicut flamma comburens montes, ita persequeris illam in tempestate tua et in ita tua turbabis (Ps 82).

TRA. Meditabor in mandatis tuis, quae dilexi nimis (Ps 118). Sicut ventus urens dispergam coram inimico, dorsum et non faciem ostendam ei in die perditionis (Ier 18). Disseminabo eam quasi stipulam, quae vento raptatur in deserto (Ier 13). Dabo in manus inimicorum et in manus quaerentium animam eius et erit morticinium in escam volatilibus caeli et bestiis terrae (Ier 34).

AEG. Greges ovium mortibus aegrotantium morientur, non plangentur, in sterquilinum super faciem terrae erunt, gladio et fame consumentur (Ier 16). Fiat terra eorum in desolationem et in sibilum sempiternum (Ier 25).

[p. 83] NAT. Pastor ovium, scito et animadvertite sermonem meum (Dn 9)! Greges ovium tuarum maledicti (Dt 18): Ecce ego visitabo super eos in malum et non in bonum (Ier

11). Interficiam eos et dabo in stuporem, in sibilum, in solitudines sempiternas (Ier 25). Visitabo super eos quatuor species, gladium ad occisionem, canes ad lacerandum, volatilia caeli et bestias terrae ad devorandum et dissipandum (Ier 15). Congregamini omnes bestiae terrae, properate, properate ad devorandum (Ier 12)! Devorabunt eos aves morsu amarissimo (Dt 32). Aperiens terra os suum deglutiat eos et descendet in infernum viventes (Nm 16).

*Christus et anima peccatoris in persona Echus.*

*Recitativo*

CHR. Audite, montes Israel, verbum domini: „Ego vox in deserto clamantis.“

ECHO. Amantis.

CHR. Dilecte mi! Ubi loquari tibi?

ECHO. Ibi.

CHR. Ubi, ubi te inveniam?

ECHO. Veniam.

CHR. Ecquando venies? An tu locutus es, quem sic diligo et protego?

ECHO. Ego.

CHR. Quis?

ECHO. Is.

CHR. Quis electus ex mille?

ECHO. Ille.

CHR. Quis ille, ad quem clamavi voce magna?

ECHO. Agna.

CHR. An ergo frueris vita?

ECHO. Ita.

CHR. Ergo caulam repete, me pete, me!

ECHO. Me, me.

CHR. Quem diligit anima mea, inveni.

ECHO. Veni.

CHR. Ego veni. Tu quoque caulam redi!

ECHO. Edi.

CHR. Quid edisti? An bonum, an malum?

ECHO. Malum.

[p. 85] CHR. De ligno edisti, ex quo ne comederes tibi praecepi?

ECHO. Cepi.

CHR. Quis persuasit, an caro et sanguis?

ECHO. Anguis.

CHR. Ne declines a me, cave!

ECHO. Vae!

CHR. Ecce adsum, veni. Sequere me!

ECHO. Quaere me!

CHR. Quaesivi et non inveni.

ECHO. Veni.

CHR. Nescio te.

ECHO. Scio te.

CHR. Revertere!

ECHO. Vertere!

CHR. Accede!

ECHO. Cede!

*Aria in tenore*

CHR. Plorans plorabo,

cur sic amavi te?

Cur sic, amabo,

amantem ludis me?

Quaerens quaesivi

ovem centesimam.

Quot vias trivi,

ut hanc inveniam?

Quid rubet lana?

An fundam sanguinem,

ut pro te una

me promptum leto dem?

[p. 86] *Recitativo*

Ergo stat pro te,

pro anima mea

mortis aeterna rea,

fundere sanguinem,

ut a morte liberem

oviculam

deperditam.

Pastor bonus vitam dabo,

captam praedam liberabo.



[p. 87] ACTUS III

Scaena I

*Daphnis.*

Quis ex vobis homo, qui habet centum oves et, si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto et vadit ad illam, quae perierat, donec inveniat eam? Et cum invenerit, imponit in humeros suos gaudens et veniens domum convocat amicos et vicinos dicens illis: „Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quae perierat!“ Aut quae mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam, everrit domum, quaerit diligenter, donec inveniat? Et cum invenerit, convocat amicas et vicinas dicens: „Congratulamini mihi, quia inveni drachmam, quam perdideram!“ (Lc 15) Qui habet aures audiendi, audiat (Mt 13)! Ego sum ille pastor gregum, perdi ex eis quemquam. Grex perditus similis est thesauro abscondito in agro, quem, qui invenit homo, abscondit et prae gaudio [p. 88] illius vadit et vendit universa, quae habet, et emit agrum illum. Iterum similis est homini negotiatori quaerenti bonas margaritas, inventa autem una pretiosa margarita abiit et vendidit omnia, quae habuit, et emit eam. Intellexistis haec omnia? (ibid.)

Scaena II

*Daphnis et Natas.*

NAT. Salve, mi frater (2 Reg 20)! Salutatur te servus tuus (3 Ioan. 3<sup>a</sup>). Gaudium tibi sit semper (Tb 5)!

DAPH. Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo? (Tb 5) Habeo centum oves et perdi unam ex illis (Lc 15).

NAT. Forti animo esto (Ios 6), donec inveniam tecum (Ps 131)!

DAPH. Notam fac mihi viam, in qua ambulem (Ps 142)! Ubi invenitur et quis est locus eius? Nescit homo pretium eius nec invenitur in terra suaviter viventium (Iob 28). Quaesivi et non inveni (Ct 5). Abyssus dicit: „Non est in me“ et mare loquitur: „Non est mecum“. Non dabitur aurum obrizum pro [p. 89] ea nec appendetur argentum in commutatione eius, non conferetur tinctis Indiae coloribus nec lapidi sardonicho pretiosissimo et sapphiro non adaequabitur ei aurum vel vitrum nec commutabuntur pro ea vasa auri. Excelsa et eminentia non memorabuntur comparatione eius, non adaequabitur topazius de Aethiopia nec tincturae mundissimae componetur. Unde

---

<sup>a</sup> Die Stellenangabe im Druck ist irreführend. *Salutat te* hat Phlm 1,23, *servus tuus* ist eine allgemein gängige Phrase.

ergo venit et quis est locus? Abscondita est ab oculis omnium viventium, volucres quoque caeli latet. Preditio et mors dixerunt: „Auribus nostris audivimus famam eius.“ (Iob 28)

NAT. Benedicat tibi dominus (Nm 6)! Dabit tibi petitiones cordis tui (Ps 36). Venient super te universae benedictiones et apprehendent te. Benedictus tu in civitate et benedictus in agro. Benedictus fructus terrae tuae fructusque iumentorum et greges armentorum et caulae ovium tuarum. Benedicta horrea tua, benedictae reliquiae tuae. Benedictus eris tu ingrediens et egrediens (Dt 28).

DAPH. Ut quid deus repulisti in fine, iratus est furor tuus super oves pascuae tuae? (Ps 73) Ut quid, domine, repellis orationem meam, avertis faciem [p. 90] tuam a me? Numquid narrabit aliquis in sepulcro misericordiam tuam et veritatem tuam in perditione? (Ps 87) Eo quod facti sunt greges mei in rapinam et oves meae in devorationem omnium bestiarum agri; neque enim quaesierunt pastores mei gregem meum, sed pascebant semetipsos et non greges meos. Ecce ego ipse requiram oves meas, liberabo eas de omnibus locis, in quibus desperae fuerant in die nubis et caliginis. Educam eas de populis et congregabo eas de terris, inducam eas in terram suam et pascam eas in montibus Israel, in rivis et in cunctis sedibus terrae in pascuis uberrimis pascam eas et in montibus excelsis erunt pascuae earum, ibi requiescent in herbis virentibus et in pascuis pinguibus pascentur super montes Israel. (Ez 34)

### Scaena III

#### *Natas.*

Maledictus vir (1 Reg 14), perge nunc, perge (Tb 5)! Fac omnia, quae placent animo tuo, et ego tecum ero, ubicunque volueris (1 Reg 14), at in malum, non in bonum (Ier 21). Ven[p. 91]ient super te omnes maledictiones et apprehendent te. Maledictus eris in civitate, maledictus in agro. Maledictum horreum tuum, maledictae reliquiae tuae, maledictus fructus terrae tuae, armenta bouum et greges ovium tuarum. Maledictus eris ingrediens et maledictus egrediens. Mittet dominus super te famem et increpationem in omnia opera tua, quae facies, donec conterat te et perdat velociter. Adiungat tibi dominus pestilentiam, donec consumet te de terra. Percutiat te dominus egestate, febri et frigore, ardore et aestu, aere corrupto ac rubigine persequatur, donec pereas. Sit caelum, quod supra te est, aeneum et terra, quam calcas ferrea. Tradat te dominus corruentem ante hostes tuos: Per unam viam egrediaris contra eos et per septem fugias. Oves tuae dentur inimicis tuis et non sit, qui te adiuvet (Dt 28).

Scaena IV

*Natae accedit Tragonomus et Aegocerus.*

NAT. Audi, fili mi, et suscipe verba mea! Viam sapientiae monstrabo tibi, ducam te per semitas [p. 92] aequitatis, quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui et currens non habebis offendiculum. Suscipiat verba mea cor tuum, custodi praecepta mea et vives (Prv 4).

TRA. Concupivit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore; nam et testimonia tua meditatio mea est consilium meum iustificationes tuae (Ps 118).

NAT. Ego dominus vester (Lv 19). Diliges dominum tuum ex toto corde tuo, hoc est maximum et primum mandatum; secundum autem simile est huic (Mt 22), odio habebis inimicum tuum (Mt 5). In his duobus mandatis universa lex pendet et prophetae (Mt 22).

TRA. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! Super mel ori meo. Bonum mihi lex oris tui super millia auri et argenti (Ps 118).

AEG. Omne animal diligit simile sibi. Sic et omnis homo simili sibi sociabitur (Sir 13).

NAT. Ego sum dominus vester. Custodite omnia praecepta mea et universa iudicia et facite ea! Ego sum dominus vester (Lv 19). Quis enim est si [p. 93] milis mei? Et quis sustinebit me? Quis est iste pastor, qui resistat vultui meo? (Ier 50) Persequimini et persequamur eum, si quo modo decipiatur, praevaleamus adversus eum et consequamur ultionem (Ier 20). Mittamus lignum in panem eius, eradamus eum de terra viventium et nomen eius non memoretur amplius (Ier 11).

TRA. Sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio (Io 14)

NAT. Conserva, fili mi, praecepta patris tui, liga ea in corde tuo iugiter et circumda gutturi tuo! Cum ambulaveris, gradientur tecum, cum dormieris, custodiant te, cum vigilaveris, loquere cum eis, quia mandatum lucerna est, lex autem lux (Prv 6).

AEG. Lucerna pedibus meis verbum tuum et lumen semitis meis. Ignitum eloquium tuum vehementer servus tuus dilexit illud (Ps 118).

Nat. Transfer cor in odium hostis nostri, ut ipse pereat et ceteri, qui ei consentiunt (Est 14). Diabolus stet a dextris eius (Ps 108). Deus dereliquit eum, persequimini (Ps 70)! Non est salus in deo eius (Ps 33). Non videbit dominus nec intelliget deus Iacob (Ps 93).

[p. 94] TRA. Nefarii homines una die ad infernum descendentes, reddent imperio nostro pacem, quam turbaverunt (Est 13).

AEG. In te inimicos nostros ventilabimus cornu et in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis (Ps 43).

NAT. Indico etiam tibi, fili mi (Iob 4): Si communicabit lupus agno (Sir 13), sic ego illi (Ct 2). Si mensurari potuerint caeli sursum et investigari fundamenta terrae deorsum (Ier

31), cessare faciam multitudinem (Ez 30) invidiae et odii fomitem (Gn 37). Perseverabit desolatio (Dn 7), donec auferatur luna (Ps 71).

TRA. In se elementa convertentur, agrestia in aquatica migrabunt et quaecunque erunt natantia, in terram transibunt, ignis in aqua valebit supra suam virtutem et aqua exstinguentis naturae obliviscetur (Sap 19), nix et aqua sustinebunt vim ignis (Sap 16). Ita impossibile est pacem esse negotiis nostris (2 Mcc 14).

NAT. Nunquid pax potest esse Zambri? (4 Reg 9) Quae enim conventio Christi ad Belial? (2 Cor 6) Quae communicatio homini ad canem? Quae pars diviti ad paupe[p. 95]rem? (Sir 13) Quae participatio iustitiae cum iniquitate? Quae societas luci ad tenebras? (2 Cor 6) Pastor ovium, sicut enumerari non possunt stellae caeli et metiri arenae maris (Ier 33), sic multiplicabo aerumnas tuas (Gn 3). Greges ovium cum tradiderit vos dominus in manus meas, conteram carnes vestras cum spinis tribulisque deserti (Idc 8). Cessare faciam bestias pessimas de terra (Ez 34).

TRA. Sibilabo eis, congregabo et multiplicabo illos (Za 16).

AEG. Iuxta legis praecepta custodimus praecepta domini nostri (Par 13). Mandata eius custodiamus et mandata eius gravia non sunt (Io 5).

NAT. Ecce somniator venit (Gn 37)! Surgite, eamus hinc (Io 14)!

[p. 96] ACTUS IV

Scaena I

*Daphnis solus.*

Quid est, Israel, quod in terra inimicorum es? Inveterasti in terra aliena, coinquinatus es cum descendentibus in infernum, qui dereliquisti fontem sapientiae (Bar 3). Indica mihi, ubi pascas, ubi cubes (Ct 1). Forsitan lates in foveis (2 Reg 17). Quis mihi det, ut te foris inveniam? Revertere, similis esto capreae hinnuloque cervorum (Ct 8)! Revertere, revertere Sunamitis, revertere, ut intueamur te (Ct 6)! Surge, propera, amica mea (Ct 2), columba mea, formosa mea, immaculata mea, quia caput meum plenum est rore et cincinni mei guttis noctium (Ct 5). Surge, amica mea et veni (Ct 2)! Veni de Libano, veni coronaberis. Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum (Ct 4). Columba mea, in foraminibus petrae, in caverna maceriae, ostende mihi faciem tuam (Cant 2), ut inveniam et deosculer te et iam me nemo despiciat. Apprehendam te et ducam in domum meam (Ct 8). Extendam manum meam super te et volvam de petris (Ier 51). Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum (Ct 8).

Scaena II

*Daphnis et Tityrus pastor mercenarius.*

DAPH. Quare venisti? Quare dereliquisti pauculas oves in deserto (1 Reg 17)?

TIT. Oves in inferno positae sunt, mors depascet eas (Ps 48).

DAPH. Non videbis ovem fratris tui errantem et praeteribis, sed reduces fratri tuo (Dt 22), ovem anniculam, immaculatam (Nm 6), de centum novellis ovibus, optimis gregibus (1 Reg 15).

TIT. Transivi et ecce non erat, quaesivi et non est inventus locus eius (Ps 36).

DAPH. Tolle tecum unum de pueris, [p. 98] consurgens vade et quaere (1 Reg 9)! Vide a loco, in quo es, ad aquilonem et meridiem et orientem et occidentem (Gn 13)! Interrogate gentes (Ier 18)! Quaeritis et invenietis, cum quaesieritis in toto corde vestro (Ier 29). Quaerite, dum inveniri potest, invoke, dum prope est (Is 55)!

TIT. Si iubes, vadam. Deus, dominus, fortitudo mea ponet pedes meos quasi cervorum (Hab 3).

Daph. Angelus domini sanctus sit in itinere vestro, perducatur vos incolumes et invenietis omnia recte (Tb 10). Bene ambuletis, sit deus in itinere vestro et angelus eius comitetur vobiscum (Tb 5). Mitto vos in medio luporum (Mt 10): Venient ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces (Mt 7).

Scaena III

*Daphnis.*

Adiuro vos, filiae Iersualem, per capreas cervosque camporum, num quem diligit anima mea, vidistis? (Ct 3) Anima mea liquefacta [p. 99] est (Ct 5): Factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio mei (Ps 21). Adiuro vos, filiae Ierusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei, quia amore langueo (Ct 5).

Scaena IV

*Daphnidi accedit Leachim et Azarias.*

LEA. Qualis est dilectus ex dilecto, quia sic adiurasti nos? Qualis est dilectus tuus ex dilecto? (Ct 5)

DAPH. Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus: Caput eius aurum optimum, comae capitis eius sicut elatae palmarum, oculi eius sicut columbae super rivulos aquarum, genae illius sicut areolae aromaton, labia eius stillantia myrrham primam, species eius ut Libani, electus ut cedri et totus desiderabilis. Talis est dilectus meus, filiae Ierusalem (ibid.)

AZA. Quo abiit dilectus tuus, quo declinavit? Et quaeremus eum tecum (ibid.).

DAPH. Similis est dilectus meus capreae hinnuloque cervorum, venit saliens in montibus transiliens colles (Ct 2).

[p. 100] LEA. Ubi est grex, qui datus est tibi, pecus inclytum tuum? (Ier 13)

DAPH. In petris manet et in praeruptis silicibus atque inaccessis rupibus commoratio eius (Iob 39). Introibit in speluncas petrarum et in voragine terrae (Is 2), vias quaeret et non inveniet (Is 20).

LEA. Putas, quare moratur, quare detentus est ibi? (Iob 10)

DAPH. Dereliquit venam aquarum viventium dominum (Ier 17). Fodit sibi cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas (Ier 2). Perditio tua ex te, Israel, tantummodo ex me auxilium tuum (Os 13). Per noctes quaesivi, quem diligit anima mea, quaesivi illum et non inveni (Ct 3). Quaesivi in speluncis, in abditis, in petris, in antris et in cisternis (1 Rom 13), in universis rupibus terrae (Ez 31), in montibus, collibus et vallibus (Ez 6). Quaesivi in torrentibus vallium, in omnibus frutetis et universis foraminibus (Is 7). Quaesivi in itineribus, periculis fluminum, periculis latronum, periculis in civitate, periculis in solitudi[n]e. Quaesivi in labore et aerumna, in fame et siti, in frigore et nuditate (2 Cor 11). Quaesivi et non inveni, vocavi et non respondit mihi (Ct 5). Surgam et circuibo per vicos et plateas, quaeram, quem diligit anima mea (Ct 3). Vadam cito et videbo (1 Reg 20). Vim patiens clamabo (Iob

*Pastor bonus – Actus IV*

19). Oves meas oportet adducere. Vocem meam audient, fiet unum ovile et unus pastor (Io 10).

Scaena V

*Remanent Leachim et Azarias.*

LEA. Iustus quidem tu es, domine, si disputem tecum, verumtamen iusta loquar ad te. Quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus, qui praevaricantur et iniqua agunt? (Ier 12) Iusti autem interibunt simul? (Ier 4) Usquequo lugebit terra, terra iustorum? (Ier 20) Consumptum est animal, quoniam dixerunt. Non videbit novissima nostra (Ier 12). Usquequo exaltabitur inimicus? Respice et exaudi, deus meus (Ps 12). Ne tradas bestiis animas confitentes tibi [p. 102] et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem (Ps 73).

AZA. Emitte agnum, domine, dominatorem terrae de petra deserti ad montem filiae Sion (Is 16).

LEA. Revertimini unusquisque a via sua mala et a cogitationibus pessimis et habitabit in terra, quam dedit vobis dominus (Ier 25). Revertimini et vivite (Ez 1)!

AZA. Nonne satis vobis erat pascua bona depasci? Insuper reliquias pascurum conculcastis pedibus vestris et cum purissimam aquam biberetis, reliquam pedibus vestris turbabatis (Ez 34).

Scaena VI

*Prioribus accedunt Tityrus et Melibaeus.*

LEA. Ululate, pastores, et clamate (Ier 25)! Vae pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos! Nonne greges a pastoribus pascuntur? Greges autem meos non pascebatis. Quod infirmum fuit, non consolidastis, quod aegrotum, non sanastis, quod confractum, non alligastis, quod abiectum, non reduxistis, et quod perierat, non quaesivistis. Propterea audite verbum domini: „Dispensae sunt oves meae, erraverunt in cunctis montibus et universo colle excelso et super omnem faciem terrae dispersi sunt greges mei et non erat, qui requireret, non erat, inquam, qui requireret (Ez 34).“

AZA. Ululate, pastores, et clamate, super hoc plangite et ululate! Expectavimus pacem et non venit, tempus curationis et ecce turbatio (Ier 14), tempus medelae et ecce formido (Ier 4).

TIT. Ascendit leo de cubili suo et praedo getium se levavit (Ier 4), velocior [p. 104] lupis vespertinis (Hab 1). Insidians erectus est inimicus (Lam 1), rursus insidians factus est mihi leo in absconditis (Lam 3). Sedet in insidiis cum divisibis in occultis, ut interficiat

innocentem, insidiatur in abscondito quasi leo in spelunca sua (Ps 9). Tetendit arcum suum et posuit me quasi signum ad sagittam (Lam 3).

MEL. Abscondunt odium labia mendacia (Prv 10). Molliti sunt sermones eius super oleum et ipsi sunt iacula (Ps 54). Eius maledictione os plenum est, amaritudine et dolo, sub lingua eius labor et dolor (Za 11).

LEA. O pastor et idolum derelinquens gregem (Io 10)! Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis (Ps 11).

TIT. In circuitu impii ambulant (Ps 56). Laqueum paraverunt pedibus meis et incurvaverunt animam meam, foderunt ante faciam meam foveam (Ier 18), foderunt foveam, ut caperent me (Ps 139). Qui cogitaverunt iniquitates in corde, tota die constituebant proelia. Acureunt linguas suas sicut serpentis venenum [p. 105] aspidis sub labiis eorum. Cogitaverunt supplantare gressus meos, absconderunt superbi laqueum, iuxta iter scandalum posuerunt mihi (Ps 13).

MEL. Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant, pedes veloces ad effundendum sanguinem (2 Reg 13).

LEA. Roboramini, estote, viri fortes (Eph 6)! Accipite armaturam dei, ut possitis resistere. State succincti lumbos vestros in veritate, induti lorica iustitiae sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere! Galeam salutis assumite et gladium spiritus (Ier 12)!

TIT. Pastores multi demoliti sunt vineam meam, conculcaverunt partem et portionem meam in desertum solitudinis. Desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est, qui recogitet corde (Ez 34).

LEA. Oves non erunt ultra in rapinam in gentibus neque bestiae terrae devorabunt eas, sed habitabunt confidenter absque ullo terrore (Ier 23).

AZA. Ecce ego visitabo et congregabo reliquias gregis mei de omnibus terris (Ier 23<sup>a</sup>). Dicit dominus vester.

[p. 106] LEA. Pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos, in sinu suo levabit, foetas suas ipse portabit (Is 40).

## Scaena VII

*Daphnis, Tityrus et Melibaeus.*

DAPH. Quid statis hic tota die otiosi? (Mt 20)

TIT. Alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili et illas oportet adducere (Io 10).

---

<sup>a</sup> An dieser Stelle steht im Fließtext der Fußnotenanker (*g*), im Apparat fehlt aber die entsprechende Stellenangabe.



DAPH. Laudo vos, in hoc non laudo (1 Cor 11). Oportet unum facere et alterum non omittere (Mt 23). Potius ite ad oves meas, quae perierunt (Mt 10). Non est voluntas ante patrem vestrum, ut pereat unus de pusillis istis (Mt 18). Omnes animae meae sunt (Ez 18). Ego veni, ut vitam habeant et abundantius habeant (Io 10).

MEL. Audivi sermones tuos, quos locutus es ad me (1 Reg 28). Ego novi, quia pater meus dies computat et cruciatur spiritus in ipsis (Tb 10). Erraverunt in solitudine, in inaquoso, viam habitaculi non invenerunt (Ps 100).

DAPH. Vae illis, quia recesserunt a me (Bar 3).

TIT. Omnes, qui te derelinquunt, confundentur, recedentes a te in terra scribebuntur (Ier 17).

DAPH. Nolo mortem morientis. Vos autem quaerite et invenietis (Lc 11).

TIT. Perrexi ad investigandum etiam super abiectissimas petras, quae solis silicibus perviae sunt (Ier 17). Laboravi clamans, raucae factae sunt fauces meae (Ps 68).

